

Ad 2^{am}. Rursus *N. Cons.* et oppono, præter universalem Patrum plurium supra cit. opinionem, AMBR. L. 5. de fid. c. ult., GREG. L. 18. Mor. c. 28. (al. 54. n. 88.) et L. 1. in Ezech. hom. 8. n. 30. quamvis, ut supra dictum est, res hæc ex Patribus, quos inter se consentientes non habemus, minime definienda sit.

108. *Observe.* Enochum et Eliam aliqui Moysi ac Paulo addunt, faciuntque eosdem jam nunc beatæ visionis participes. Eorum ratio est : 1^o, quia prior Eccli. 44. 16. in paradysum translatus, alter 4. Reg. 2. 11. ascendisse in cælum legitur. 2^o, quia ATHAN. Serm. de assumpt. Dom. n. 3., TERTULL. de resur. carn. c. 58., HIER. L. ad Pammach. cont. Joan. Hier. n. 29. vocant eos immortalitatis terminum assecutos, æternitatis candidatos, Paradisi colonos. 3^o, quia S. Eliæ festum a Sacro Ordine Carmelitarum, approbato a Romanis Pontificibus cultu, celebratur : animæ in exitu a presbyteris Deo per merita Eliæ et Enoch commendantur : neuter eorum videtur amplius esse viator et in statu merendi, cum alias eorum meritum ob temporis diuturnitatem sanctorum reliquorum sanctitatem excederet; sed in termino et beatitudinis possessione.

Verum nec hos a lege illa communi excipiendos persuadent allata argumenta. Nam quod *primum* attinet, 70. Interpretes τὸ in paradysum omittunt, τὸ in cælum autem addito τὸ quasi diminuunt. Præterea quamvis et Patres et interpretes discrepent in assignando loco, quo illi rapti fuerint, aliis paradysum terrestrem, aliis stationem quæcumque ignotam, in qua feliciter vivitur, intelligentibus; ut ATHANASIVS ipse l. cit. n. 4.; ne tamen cælum proprie dictum significetur, videtur prohibere Christus Joan. 3. 13. asserens, nullum hominem ascendisse in cælum ante Christi ascensionem. Secundum verum etiam potest esse eo sensu, quod confirmati in gratia et singulari Dei providentia recti servantur liberi ab omni corruptione, fruuntur, quantum mortalitas permittit, cælitum favoribus, et angelicis etiam ac subinde divinis apparitionibus. Hinc similiter, quæ duo priora in tertio momento afferuntur, locum habere possunt, præsertim cum de eorum certamine extremo felici, sub finem mundi secundum Apoc. c. 11. 3. futuro, certi simus. An porro Eliæ et Enoch etiamnum viatores sint et mereantur, discrepant inter se Theologi : quodcumque vero admiseris, non est tamen, cur excessum supra Deiparæ merita concedas; cum hæc non ab uno opere et ejus diuturnitate; sed ex modo ac vehementia dilectionis maxime pretium habeant. Cæterum si mortuos illos contendas ac omnino beatæ vitæ possessores, jam non restat præsentis disputationi locus, et repugnas totius Ecclesiæ persuasioni, quæ ex plurimis SS. Patribus, Scriptura etiam non obscure favente, tenet hos duumviros necdum vita functos, sub extremum mundi modo occubituros. Cæterum de ipsa Dei visione intuitiva, ejus principiis, objecto et mensura vide Tract. de Beatitudine.

DISPUTATIO III.

DE INTELLECTU ET SCIENTIA DEI.

CAPUT I.

DE INTELLECTU DIVINO, EJUSQUE OBJECTO.

ARTICULUS I.

QUODNAM SIT OBJECTUM COGNITIONIS DIVINÆ?

109. *Nota.* Dari in Deo intellectum et memoriam, præcisè utriusque potentiae creatæ imperfectionibus, nemo dubitat. *Habitus* aut *discursus* Deo proprie tribui nequit, cum ille redundet in potentia perfectissima, hic autem, cæu transitus a minus ad magis notum, dedecet ens omniscium. Quod Deus habeat rerum omnium ideas perfectissimas, quæ non sint extra, sed intra Deum, asserunt SS. PP. DIONYS. de Div. nomin. c. 7. §. 2., CLEM. ALEX. Strom. L. 6. sub fin., AUG. de Trinit. L. 6. c. 10. et alii, et probat ratio, tum quia Deus extra se agit per intellectum ut artifex sapientissimus, tum quia ideae creaturarum sunt increatæ, incommutabiles et æternæ, nihil autem extra Deum increatum, incommutabile et æternum est. Idea *objectiva* in Deo videtur esse ipsa Dei essentia ut participabilis a creatura, et *formalis* ipsum verbum intellectuale divinum, seu conceptus essentialis, quem Deus habet de creaturis ut possibilibus vel faciendis. Nobis hic sermo est præcipue de *objecto* cognitionis divinæ.

110. *Dico I.* Quidquid est cognoscibile, est objectum cognitionis divinæ.

Prob. Cum Baruch. c. 3. dixisset, sapientiam nusquam terrarum aut gentium reperiri, demum, ubi sit, declarat v. 32. : *Quis scit universa, novit eam, et advenit eam prudentia sua.* David Psal. 138. 5. *Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua.* Paulus vero 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei;* Et ad Hebr. 4. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* His adde SS. PP., qui ubique Deum prædicant omniscium, ut CYRIL. L. 11. init. (opp. t. 4. p. 929.) Comment. in Joan. scribens : *Proprie ac soli Principi omnium naturæ tribuendum est, omnia scire docente nullo, ac præ oculis habere nuda et aperta;* aut ab eodem quæcumque ignorantiam pro-

pulsant, ut idem L. 32. Thesaur. (opp. t. 5. p. 329.) dicens, *Divinitatis id esse proprium, ut nihil ignoret*, et NEMES. L. de Provid. c. 44. : *Ignorantia et imperitia prorsus aliena est a beata illa substantia, scilicet Dei; ipsius enim est cognitio et sapientia*; aut Deum totam ex natura sua intelligentem esse ac scientiam statuunt, ut IREN. L. 2. c. 47. (al. 28. n. 4.) ait : *Deus cum sit totus mens, totus ratio et totus lux* etc. Unde sequitur apud eundem *non esse transmutationem nec vicissitudinis obumbrationem*, ut Jacob. c. 4. 17. loquitur.

Conf. Omniscientia est perfectio simpliciter simplex; ergo tribuenda est Deo tanquam enti a se et omnipuncto. *Item* intellectus divinus est perfectissimus; ergo exigit cognoscere omne cognoscibile ab aliquo intellectu: sed Deus et quaecumque res extra Deum est cognoscibilis ab aliquo intellectu; ergo. *Denique* si quid Deus non cognosceret, illud foret vel ex debilitate potentiae, vel ex imperfectione cognitionis: sed neutrum dici potest de ente, quo melius et perfectius esse aut concipi nequit; ergo. Idque non tantum secundum esse eminentiale creaturarum, quod est Dei essentia, sed etiam secundum earum esse formale, cum et hoc sit aliquid cognoscibile.

111. *Dico II.* Res etiam vilissimae, cogitationes item et secreta cordis, ac peccata quaecumque sunt divinae cognitionis objectum.

Prob. 1^{um}. Eccli. 1. 2. quaerit Siracides: *Arenam maris, et pluviae guttas, et dies seculi quis dinumeravit? altitudinem caeli et latitudinem terrae et profundum abyssi quis dimensus est?* etc. Denique v. 8. respondet: *Unus est altissimus Creator omnipotens... ipse creavit illam in Spiritu sancto; et vidit, et dinumeravit, et mensus est.* Matth. 10. 29. dicit Christus: *Nonne duo passeris asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.*

2^{um}. 1. Paral. 28. 9. *Omnia, inquit, corda scrutatur Deus et universas mentium cogitationes intelligit.* Idem repetit Ps. 7. 10. *Scrutans corda et renes Deus; et Ps. 138. 3. Intellexisti cogitationes meas de longe.* Eccli. 23. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuens in absconditis partibus.* Et ad Hebr. 4. 12. *Pertingens usque ad divisionem spiritus et animae, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

3^{um}. Gen. 6. 5. *Videns Deus, quod multa malitia esset super terram.* Prov. 15. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Psal. 68. 6. *Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* etc. Patrum testimonia plurima prostant, maxime in commentationibus ad laudatos textus.

Conf. Nec minimum est, quod non fiat Deo vel operante, vel movente, vel permittente: adeoque res etiam vilissimae naturales a Deo producantur et gubernantur; res morales bonae, quales etiam sunt cogitationes salutares, a Deo excitantur et perficiuntur; res morales malae, nempe peccata cogitationum quoque, a Deo sinuntur: sed novit Deus quidquid naturaliter aut misericorditer operatur, vel provido consilio permittit; ergo. Uti vero ex Job. 28. 3. Deo tribuitur cognitio privationum et negationum, sic et notitia figmentorum, quae homo sibi format, facile ostenditur.

112. *Nec dicas.* 1^o. S. HIER. in c. 1. Habac. v. 13. 14. commentans ait: *Absurdum est, ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quae cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo etc.* Et S. CHRYSOSTOMUS hom. 35. (al. 34. n. 2.) in Matth. c. 10. v. 30. ait: *Deum humano more capillos non numerare.* Ergo Deus rerum minimarum cognitionem non habet.

R. D. *Cons.* Deus non habet rerum minimarum cognitionem simplicem N. providam subd. conjunctam vel cum amore studioque singulari, qualem habet respectu hominum vel anxiam et morosam, quales homines habent de rebus suis C. convenientem rerum creaturarum conditioni, et ab omni imperfectione secretam N. S. HIER. omnino simplicem rerum etiam minimarum cognitionem Deo tribuit, cum in ep. 3. (al. 60. n. 12.) miretur Creatoris solertiam in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermibus, et istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina. Nec minus eidem dat providentiam de his universalem, cum verbis in objectione recitalis praemiserit hanc sententiam: *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in ceteris animalibus generalem quidem dispositionem et ordinem cursumque rerum intelligere possumus.* Unde eodem duntaxat sensu, quo Paulus 1. ad Cor. 9. 9. dixerat: *Numquid de bobus cura est Deo?* negavit paternam et specialem de rebus ejusmodi providentiam, ac similem illi, quam hominibus impendit; quemadmodum ex iis, quibus objectionis perodum prosequitur, verbis colligitur, quae sic habent: *Non sumus tam fatui, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Simplicem cognitionem capillorum Deo etiam non denegari a S. CHRYS., patet ex adjectis ibidem verbis: *Quid vilis passeribus? et tamen nunquam, ignorante Deo, capiuntur; adeoque vel ipsa commemoratio humani moris videtur duntaxat excludere imperfectam rerum cognitionem.*

113. *Nec dicas* 2^o. Genes. 22. cum Deus tentasset Abrahamae fidelitatem imperata Isaaci immolatione, demum v. 12. ait: *Nunc cognovi, quod times Deum.* De Sodomitis autem ibid. 18. 21. loquens inquit: *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, compleverint, an non est ita, ut sciam.* Ergo nec secreta cordis Abrahamae, nec cupiditates Sodomitarum antea cognoverat.

R. N. *Cons.* Abrahamum a Deo non fuisse tentatum, ut ejus fidelitas Deo innotesceret, patet ex testimonio, quod Deus illi Genes. 18. 19. jam dederat: *Scio enim, quod praecepturus sis filiis tuis et domui tuae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant justitiam et iudicium; ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quae locutus est ad eum.* Itaque tentatio illa tantum accidit, ut Abrahamae praeberetur occasio, fidem et obedientiam suam manifestandi, quod ipsum phrasim illam Scripturae: *Nunc cognovi* etc., alibi etiam usitata, teste S. Aug. serm. 72. de temp. (al. 2. c. 3. et 4.), declarat. Similiter Deo jam cognita fuisse Sodomorum scelera, constat ex v. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est;* unde Scriptura utitur tantum hac metaphorica locutione ad instruendos iudices, qua sollicitudine ac circumspicione uti oporteat, ubi de peenis decernendis agitur, ut explicant SS. CHRYS. in Gen. hom. 42. n. 3. et GREG. M. mor. in Job. L. 19. c. 14. (al. 25. n. 46).



114. *Nec dicas* 3^o. Habac. 1. 13. legitur: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum et respicere ad iniquitatem non poteris.* Et Matth. 7. et 2^s. Christus reprobis dicit: *Nunquam novi vos. Amen dico vobis, nescio vos.* Ergo Deus nec mala, nec malos novit.

R. D. *Cons.* Deus nec mala nec malos cognoscit scientia simplici et speculativa N. practica et approbationis vel amoris C. In Scriptura non raro dicuntur cognosci, quæ placent et approbantur, ut Ps. 1. 6. *Novit Dominus viam justorum,* et 2. ad Tim. 11. 49. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus;* ignorari autem, quæ displicent et vituperio digna sunt; ad quam phrasin spectat illud 1. ad Cor. 14. 38. *Qui ignorat, ignorabitur.* Hujus generis etiam illa esse, quæ obijciuntur, liquet tum ex ipsa historia, tum ex verbis Prophetæ adjunctis: *Quare respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorum se?*

115. *Observe.* Cognitio divina, utpote actus purissimus et determinatus ex essentia ad actualem omnis veritatis notitiam realiter identificatam ac improductam, non habet *objectum formale motivum,* nisi intentionaliter tantum, quot sunt rerum omnium, quascumque Deus cognoscit, veritates objectivæ. Porro multiplex est modus cognoscendi, ad modum alterius, ex alio, in alio, propter aliud, et in se. Cognitio rei *ad modum alterius,* est cognitio confusa, et habetur per speciem alienam, qualis est nostra cognitio angeli per speciem juvenis alati: cognitio rei *ex alio,* est cognitio discursiva vel per ordinem prioris ac posterioris: cognitio rei *in alio,* quæ etiam dicitur mediata et indirecta, est cognitio in medio dicente ordinem ad illam rem, ita ut ipsum medium sit ratio intentionaliter motiva cognitionis rei, ad quam ordinem dicit; in idem recidit cognitio rei *propter aliud;* quamvis t^o *propter* etiam possit applicari objecto formali intrinseco et identificato cum objecto materiali, ubi scilicet denotat intrinsecum duntaxat modum tendendi, per quem intellectus illud amplectitur tanquam rationem assentiendi, cui innitatur. Cognitio rei *in se ipsa* interdum sumitur pro cognitione habita per speciem propriam et adæquatam rei; et hoc sensu nulla est rerum creaturarum cognitio in se respectu Dei, eamque D. Thomas p. 1. q. 14. a. 5. negavit: magis autem universaliter sumpta cognitio rei in se est cognitio rei propter ipsius propriam veritatem, ita ut ipsa rei veritas intrinseca sit objectum *intentionaliter* motivum cognitionis; unde et dicitur directa et immediata. Atque hanc acceptionem cognitionis rei in se hic usurpamus.

ARTICULUS II.

AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT SEIPSUM?

116. *Dico.* Deus seipsum perfectissime cognoscit atque comprehendit, tam in seipso, quam in creaturis.

Prob. 1^a p. Joan. 10. 15. dicit Filius: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei: Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Ergo quælibet

Persona cognoscit perfectissime aliam: sed quælibet et omnes sunt unus idemque numero Deus; ergo Deus seipsum perfectissime noscit. Ita S. Aug. L. 15. de Trin. c. 14., MINUTIUS in Octavio. c. 18., ISIDOR. L. de sum. bon. c. 3.

Conf. Deus totus est mens et quidem mens prima et præstantissima, qua præstantior nulla ne concipi quidem potest: præterea ipse sibi est perfectissime præsentissimus ac summe intelligibilis; ergo et seipsum perfectissime cognoscit.

Prob. 2^a p. perfectissimo enti intelligenti debet assignari objectum motivum et ratio cognoscendi perfectissima: sed tale motivum et ratio non potest alia esse, quam ipse Deus; ergo. Sicut Deus, utpote ens a se et summum bonum, est proprius sibi finis, juxta illud Prov. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus:* ita tanquam summa veritas est sibi in cognoscendo sua ratio motiva.

Prob. 3^a p. Deus perfectissime et comprehensive cognoscit creaturas, prout sunt in se: sed creaturæ sunt in se essentialiter connexæ cum Deo; ergo perfectissime et comprehensive cognoscit illas ut essentialiter connexas cum Deo. Hoc autem ipsum est, Deum cognoscere seipsum in creaturis.

Si ais 1^o. Scientia et omnipotentia Dei sunt idem: omnipotentia Dei nequit habere seipsum pro objecto; ergo nec scientia. *Item* Deus saltem nequit se comprehendere, quia Deus alias finiretur juxta illud S. Aug. L. 12. de Civ. c. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.*

R. D. Sunt idem substantialiter et in recto C. sunt idem connotative et in obliquo; seu ratione objecti N. Omnipotentia objectum est omne possibile et producibile, scientia omne cognoscibile; sub quo postremo Deus omnino continetur, minime autem sub priori. *Item* finiretur Deus sui cognitione proprie, quasi meta et finis cognitionis ac cognoscibilitatis divinæ haberetur N. improprie, quatenus cognitio Dei adæquat totam illius cognoscibilitatem C. De S. AUGUSTINI textu observat S. THOMAS p. 1. q. 14. a. 3. verba illa, *comprehensione finitur,* non esse accipienda positive, quasi Deus seipsum sua cognitione intra certos limites concludat; sed negative et sensu perfectiore, quatenus Deus seipsum cognoscit nullis limitibus circumscriptum visione similiter nullis limitibus circumscripta.

Si ais 2^o. Deus se cognoscens in creaturis, cognosceret creaturas prius, quam seipsum: et cognitio divina sui per creaturas foret præcisiva; ergo.

R. D. Deus se cognoscens in creaturis, prius simpliciter cognosceret creaturas, quam seipsum N. respective et secundum hanc præcisive cognitionem *subd.* cognosceret creaturas prius *a quo,* quatenus creaturæ sunt ratio, cur Deus per illam cognitionem cognoscatur C. prius *a quo,* quatenus in signo rationis priori cognoscerentur creaturæ et non Deus, cum tamen correlativa sint simul cognitione N. Porro præcisiva non foret cognitio divina sui per creaturas, quia creaturæ essentialiter connectuntur cum sua causa prima, vera et reali, ideoque cum omnibus prædicatis divinis, sine quibus Deus nequit esse vera et realis causa prima: cum autem talia sint omnia divina prædicata necessaria, tam absoluta quam relativa, cum illis omnibus creaturæ connectuntur, et illa omnia in creatis necessaria cognoscuntur; præsertim cum omnis cognitio Dei sit comprehensiva.